



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli

Bugenhagen, Johannes

Basileae, 1524

VD16 B 9232

Capvt I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36165

tam ueritatem relapsis. Primus locus est cap. 6. Im-
possibile est eos, &c. Secundus cap. 10. Voluntariè tan-
tū, &c. Quos locos suo loco uidebimus ex ipso textu
quid habeant, &c.

Qua uero ratione, quo ue consilio incipiat à gloria
Christi, supra in argumēto diximus. Tacet interim de
Mose, & de his quæ legis sunt, ne statim in ipsis fori-
bus offendat Hebræorum aures. Utitur uero scriptu-
ris, quos Iudæi contēnere non possunt, quibus probat
Christum (siue eius diuinitatē, siue eius humanitatem
respicias) omnibus creaturis esse superiorem, etiam
angelis. Quandoquidem nomina habet, quæ
ad angelos non pertinent.

C A P V T I.

Deus olim multiphariam,
multisq; modis.

DEus semper loquutus est populo suo, per uer-
bum suum. Non igitur nunc nouum deum præ-
dicamus, sed eundem uerum, qui tunc per prophetas
& suos: nunc multo dignius loquitur nobis p̄ filiū, qui
est dominus, non solum patrum & prophetarum, sed
etiam omnium. *Multiphariam*, id est diuersis tempo-
ribus. *Multis modis*, id est nunc apertis uerbis, nunc
figuris, alijsq; reuelationibus. *Extremis*, id est, post

ANNOT. IOANNIS POMERANI

quos non est expectanda alia uerbi missio, usq; in finem mundi. Diebus hisce, id est, in quibus iam sumus. Ne Iudæi dicant extremos illos dies nondum uenisse, idcirco expectandum adhuc Messiam. Nouissima esse tempora Christiana, dixi Esaie 2. & alibi.

Locutus est nobis per filium.

Christus secundum diuinitatem natura est filius dei, secundum humanitatem adoptione est filius dei: quæ adoptio completa est in eius resurrectione: sicut & nostra complebitur, ut dicitur ad Rhoma. 8. Idcirco ipse dicitur primogenitus in multis fratribus. ibidem, & primogenitus ex mortuis, ad Colossenses 1. & Apoca. 1. Idcirco etiam Paulus Actorum 13. de Christi resurrectione citat illud, Ego hodie genui te: id quod ad nullū unquam angelorum dictum est, quamquam de Christi diuinitate soleamus hoc interpretari. De qua re uide postillā D. Martini. Et certe quod sequitur, quem constituit heredem uniuersorum, ad Christi humanitatem pertinet, sicut & in sequentibus declarat ex psal. Omnia subiecisti sub pedibus eius. Et ipse dixit Matthæi ultimo: Data est mihi omnis potestas, &c. Hic consequitur, omnes quotquot sunt in Christo, esse per Christum heredes omnium, heredes dei, coheredes Christi. Nam & sequenti capite fratrem nostrum facit Christum, non angelorum, qui hic ministri nostri uocantur. Hæc est inæstimabilis nos
stra

stra dignitas, modò credamus. Nam fides nos ita glorificat, &c. Ad diuinitatem uero pertinere, quod dicitur, per quem fecit & secula, quis non uidet? id quod legis Gene. 1. & Ioannis 1. Colossen. 1. Hinc rursus consequitur, quod nemo in regno Christi perire potest: quia hæc omnia condidit deus omnipotens. Ex prædictis non erit necesse, ut duos filios facias. Nam deus & homo, in Christo una persona sunt, sed tantum duæ nomine. Vnde in scripturis necesse est, ut prudenter discernas, quæ ad Christi diuinitatem, & quæ ad eius humanitatem pertinent.

Qui cum sit splendor gloriæ.

Diuersam à patre personam uocat filium in diuinitate. Deus est gloria, filius est splendor huius gloriæ, imò est gloria gloriæ patris, per omnia patri similis: non alterius substantiæ, sed eiusdem & substantiæ & numinis. id quod additur: Expressa imago, non faciei, sed substantiæ illius. Idcirco Christus est omnipotentia patris, sapientia patris, iustitia patris, &c. A patre quidem genitus, sed tantum naturalis deus, ut pater, atq; adeò cum patre unus deus. Id quod sequitur. Modere-
 turq; uel potius, portetq; omnia uerbo potentiae suæ, id est, per seipsum qui est uerbum, quo omnia fiunt, & omnia conseruantur & disponuntur: sicut dicit, Pater meus usq; modò operatur, & ego operor. Quid prodeffet oia per ipsum esse condita, nisi omnia per ipsum

deus
 filius

ANNOT. IOANNIS POMERANI

quoque conseruarentur & gubernarentur? In Christo igitur est tota diuinitas, & ipsius est omnis gloria dei. In Christo nos patrem agnoscimus, quia ipse est splendor, gloria, & imago substantiæ patris. Agnoscimus autem per uerbum eius, modo spiritus eius nos docuerit. In facie Christi iam uidemus gloriam dei, non in facie Mosi, ut est in epistola ad Corin. Per semetipsum, &c. Magna dignatio tantæ (quæ iam descripta est) maiestatis, quod seipsam exinaniiuit, nobis seruiens in peccatis nostris, ut ea purgaret, factus patri obediens, &c. Philippen. 2.

Christus
pater
imago

Consedit in dextra maiestatis.

Id quod ad Philippenses quoque sic dicitur: Propter quod & deus exaltauit illum. Hic caue, ne sic cogites cum impijs, quod Christus semel peccata abstulerit, & deinde nostris satisfactionibus alia commiserit auferenda, id quod est negare Christum, & omnia quæ hic dicuntur, &c. Tanto præstantior, &c. scilicet qui infra angelos erat deiectus, quia purgabat nostra peccata, Esaie 53. ut infra uidebimus. Iam uero usque ad finem capitis ostendit ex scripturis, longe excellentius nomen quàm angelos Christum habere, sicut ait Paulus: Dedit illi nomē, quod est super omne nomen.

Filius meus es tu.

In psalmo clarū est, & in libro Regū aperte quoque dicitur: Postquàm dormieris, &c. Vide postillam Doo

Actoris Martini. Et nunc iterum, id est in secundo ad-
uentu introducit, &c. Actorum 1. Hic Iesus, qui as-
sumptus est, &c. hic dominus angelorum est & deus
uerus, qui ab angelis adoratur.

Qui creat angelos suos spiritus.

Id est, spirituales creaturas. Et facit eos flammam
ignis: id est, igne & natura & uelocissima. Sed non lo-
quitur eis deus, Filius meus es tu, &c. & thronus de-
us, &c. imò hi filium adorant.

Thronus tuus deus in seculum.

Hic deus appellatur à deo, uel à propheta, & tan-
tum secundum humanitatem unctus dicitur spiritu
sancto, sed præ participibus suis, ut sit ipse primoge-
nitus in multis fratribus.

**Et tu in initio domine terræ
fundamenta.**

Hæc ad illum deum dicuntur, de quo in eodem psal-
mo præmittitur: Qui assumpta carne prospexit de
excelsis sancto suo, ut solueret filios mortis.

**Nonne omnes sunt administra-
torii spiritus? &c.**

Angeli, qui Christū iubentur adorare, tantū abest,
ut Christo præferantur, uel æquales sint, ut etiam no-
stri serui & ministri sint, qui sumus in Christo.